

prorupit: “O sacrę reliquię, lumen vestrum custodite!”. Deposito^d autem baculo mus lumen morsibus appeçiit statimque u<lu>la quedam ipsum murem strangulando deportavit flamma luminis nondum extincta. I<n ca>thedra autem Petri, cum eędem reliquię ad ecclesiam Fritslariensem de Monasterio essent appor<tatę>, amarissima ventorum tempestas sine intermissione cum frigore horridissimo est suborta, ita <ut> nonnullos^e de ecclesia pigebat ad propria redire hospicia. Unde cum quidam fratres dicte ecclesie irridendo murmurarent, alii in occursum reliquiarum humiliter festinarent, mox dum eedem reliquię extra ecclesiam monasterii per duos scolares venerabiliter sunt in aerem prolate, omni tempestate cessante claro radio solis astantes <sine> omni perturbatione aeris sunt perfusi, quousque a Monasterio in ecclesiam beati Petri iocunda admiratio<one> per<v>en<erunt>. Statimque pristinę tempestatis horror revertens cunctis intelligentibus divinę virtutis potenciam ostendit. Nec pretereundum, quod fratres, qui domi remanserant, divinum officium celebrantes, cum iam reliquię Fr<it>s-la<riensi> ecclesie deferrentur, graduale decantabant *Exaltent eum*¹¹ et cetera. Cum vero ante summum altare custos reliquias e<x>ponens elevaret, cantor¹² inposuit tractum *Tu es Petrus*¹³ et cetera. Quod non casu, set divinitus credi<mus> procuratum, ut irrisores ad penitentiam, devoti cultores accenderentur ad palmam.

d) Deponito Hs. e) non ullos Hs.

11) *Ps.* 106.32.

12) *Kantor Heinrich, 1189–1223 bezeugt. Vgl. DEMANDT, Chorherrenstift St. Peter (wie Anm. 2) S. 379.*

13) *Matth.* 16.18.